



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetae Psalterium

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Octonarius primus. Aleph. Beati immaculati in via, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Auxiliator ades, succedant omnia fauste,
Te saluatorem dicimus esse Deum.
Qui virtute potens, qui maiestate verendus
Aduenit, ac Domini nobile nomen habet.
Huic benedicienti nobis, bona cuncta precamur,
Huic debetur honos, laudis & omne decus.
Vos quoque felices & digni munere laudum,
Estis qui Domini pars memoranda domus.
Fluxit Deus, ut nostris lucem inferat umbris,
Hinc decoret festum frondibus ara diem.
Tu mihi solus eris verus Deus, & tibi soli
Gratia debetur, te sine fine canam.
Perpetuas grates Domino & persoluite laudes,
Cuius inexhausta est cum bonitate fides.*

PSALMVS CXIX.

Octonarius primus.

A L E P H.

Beati immaculati in via, &c.

AH, quàm felices homines sunt, crimine puri,
Qui Domini leges atque statuta colunt.
O quàm felices, monitis qui numinis alti
Gaudent, hæcque student querere corde pio.

G g 3

Inces

Incedunt etenim Domini qui tramite recto,
Cæcus in ambages non rapit error eos.
Tu custodiri tua vis mandata, iubesq̄,
Ut seruent homines iusta tua imperia.
Talibus optàrim me tinctum moribus esse,
Qualibus ipse cupis me tua iussa sequi.
Non turpis pudor aut confusio me vlla grauabit,
Mente reuoluentem sancta statuta tua.
Sed tibi, quas possum, refero, Deus optime, grates,
Quod me iura doces iusticiamq̄ tuam.
Fac, Deus, accipiam finem, fructumq̄ laborum,
Obseruemq̄ animo splendida dicta meo.

Octonarius secundus.

B E T H,

In quo corrigit adolescentio &c.

Bellè quis poterit iuueniles figere plantas?
Quis faciet promptus, quod tua verba iubent?
Nunc ego, te, iuuenis, Deus, imo pectore quero:
Ne me desertum deuius error agat.
Namq̄ tua eloquia obseruans ita mente recondo,
Ut memor à grauibus lapsibus abstineam.
Dirige me, benedicte Deus, tua iura petentem,
Dignus